

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Menippus sive dialogorum satyricorum centuria  
inanitatum nostrativum speculum**

**Andreä, Johann Valentin**

**Cosmopoli [i.e. Straßburg], 1618**

57. Salarivm

[urn:nbn:de:bsz:31-107424](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-107424)

## 57. SALARIUM.

A. Sempérne tu esuries? B. Sic decet. A. Nempe irritasti aliquando. Heri tui famulos? B. Siquidem precari irritare est. A. Itaque inexorabiles sunt, & minime tales, qui in Divorum aliquando numerum referantur? B. Certe hi Sancti mei surdi plane sunt. A. Nescis tu esse laborum & salarij æquipondia solertissime librata, nec vlli facile fieri injuriam? B. Ita ne; at qui labor labi me prope facit, salarium sal vix suppeditat. A. Itaque & laboris impatientem esse, & deliciarum appetentem credibile est. B. Certe; Nam si quis Musæum meum introspiciat, pulvinaria ibi passim, si culinam scarorum jecinora, phasianorum & pavorum cerebella, linguas phœnicopterorum, murenarum lactes cõmisceri deprehendit. A. Iocatis tu quidem: Ego tamen haud capio, qui alij cuticulam probe curent, tu semper famem præ te feras. B. Quia à quæstoribus nondum multiplicandi artem didici. A. Vah infamem Arithmeticam, at cur inæqualiter alimini? B. Nempe quia fœnum bovj, Psittaco sacharum datur. A. Et qui terram colunt equulei paleis pascuntur, qui orientur caballi, avena saginantur. B. Et qui calceos alijs faciunt discalceati discurrunt. A. Est ne vero fortunæ, an vitæ generis lautius vivere? B. Olim fortunæ fuit, nunc vitæ instituti est; nam quo quisque inutiliorem didicit & vilio rem artem, eo alitur hodie liberalius Etenim qui complicare mantilia, aut

aut dissecare anserem, aut rotare canem, aut pingere Thaidem, aut inflare tibiā, aut jaculari ignem, aut siphare aquas, aut infilare uniones, aut crispare crines, aut fricare pustulas didicit, quingenis, & millenis etiā coronatis conducitur, qui Dei in terris interpret est, qui patriæ invigilat, qui sanguinem & vitam exponit, sesquicentum florenos ex administrantium forcipibus vix tandem eripit. A. Vbi ergo illi Magnifici Patroni, & Mecœnates munificentissimi, quos vestris charitis vndique præfigitis? ubi illa in literas liberalitas, & artium perenne viaticum, virtutum in violabile mercimonium? B. Hæc veterum deliria sunt, hodie aliter vivitur. A. Illi vero qui ad clavos sedent, literarum haud ignari, nihil intercedunt, nihil promouent? B. Nihil; ut enim quisque commode sedet, ita scit quibus artibus illuc pervenerit; nam qui literis emeruisse illos credit, desipit, qui verò ingenij, eruditionis, experientiæ & laborum id esse pretium credit, quod olim revera fuit, hodie promittitur, planissime insanit. Casus aliquis fortuitus, ac plerumque ridiculus multos elevavit. A. Nihil ergo posthac literulis tribues? B. Planissime nihil: hac enim ætate nostra præstat dentiscalpia radere, quam literarijs monumentis magnatum favorem emendicare.

## 58. DIVAGATIO.

A. Vnde nobis, unde mihi? B. Ex Europa. A. Quid monstri, an Europa urbs aliqua est?

E 5

B. Mi-